DE LEGIBUS

PUBLICA DISSERTATIO

Quam

ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. D. D.

PAULO FRANCISCO JUSTINIANO

EPISCOPO TARVISINO

DUCI MARCHIONI ET COMITI

SS. D. N. P.

Prælato Domeſtico ac Pontificio Solio Episcopo Aſſiſtenti &c. &c.

D. O. C.

JOANNES BAPTISTA INNOCENTE

DE CASTRO FRANCO

SEMINARII TARVISINI ALUMNUS

Præceptore et Adjutore

ANTONIO DE ANGELIS

MDCCLXXXVI

Digitized by Google

644

ILLUSTRISSIME ET REVERENDISSIME PRÆSUL

NObiliſſima Legum Provincia, Ornatiſſime Antiſtes, omnique generi hominum ſive meditandi, ſive agendi ſtudioſo pulcherrima æque ac utiliſſima, quæ solis inſtar affulgens tenebras ignorantiæ diluit, omnes facile difficultates abſorbet, anguſtias pellit, eoque tendit, ut nos tandem futuri ſimus in gloria; hæc inquam scientiarum regina jubet me e Scholæ umbris in splendidiſſimam hanc lucem celebritatemque prodire. Quamvis igitur plures mihi eſſent cauſæ, quas mecum ipse animo reputans concertationis meæ exitum non mediocriter pertimeſcerem, ampliſſimæ tamen hujuſce facultatis ſplendore ductus ſalebroſam, plenamque a-

646

leæ inſiſto, et publicum diſputationis onus, ad quod me quodammodo impellit tantæ diſciplinæ dignitas, infinitis licet difficultatibus atque periculis circumſeptum, ac meis ſane viribus longe majus inſpiciam, alacri lubentique animo ſuſcipio. Doleo ego re una, bone Deus! quosdam reperiri adeo inſanos ac ferme deſperatos, qui in hoc tam luctuoſo, ac tam miſero vitæ ſtatu conſtituti et poſiti, totque in rebus et caſibus nutantes, ut vitiis, in quibus miſeri volutantur, liberius indulgeant, leges omnes ac Legiſlatores maxime perhorreſcunt, funditusque evertere contendunt. Hinc mirum quot malevolorum inſidiis ſit diſciplina noſtra propoſita! quot ſævis morſibus impiorum, quibus paſſim laceratur atque proſcinditur! quot latratribus ambitioſorum et hoſtium, quibus deterretur, turbatur, torquetur! Toti enim ſunt in lege naturæ rationali contemnenda, ac œffrenatis ſubiiciendα cupiditatibus; toti in Divinis atque Eccleſiaſticis irridendis; toti denique in ſubvertendum jus civile incumbunt. Quonam hæc ferre animo poſſumus, maxime ſi ad infauſtos qui inde ſequuntur eventus oculos mentenque dirigamus? Fingite quæſo, quod abſit omnino, Clariſſimi ac Lectiſſimi Auditores, quodam nos infeliciſſimo fato vexatos cunctis juribus legibusque ſpoliari, quas Deus Optimus Maximus, ejuſque Sponſa Eccleſia, cujus po-

potiſſimum auctoritatem quamtumvis ineluctabilem ac plane divinam tam maledico ore carpit quorumdam audacia non ferenda, quas Imperatores; ac Reges omnes, quas Principes Sapientiſſimi ſive ad humani generis ſocietatem moderandam, ſive ad Reſpublicas ſervandas, ſive ad imperia divinitus conſtituta ſuſtinenda, ſive demum ad informandos, inſtituendos, corrigendoſque mores tulerunt, quænam eſſet amabo vos vita noſtra Legum claritate deſtituta ac ſejuncta? Nonne Silveſtrium belluarum prope ſimilis foret, undique timores, undique ambages, res afflictæ, turbata omnia, nulla quies? Quisnam nos a tantis hisce malis eriperet, et quod ſummum eſt, ad æternæ felicitatis metam dirigeret, ſalvosque tandem in portu collocaret? Nihil omnino eſt nobis tam aptum, atque conveniens, nihil in hoc ſtatu naturæ lapſæ, ideoque obſcuritatis maximæ tam neceſſarium ad actus humanos bene riteque dirigendos eſſe poteſt, quam leges, qnæ dum mentis caligines diſſipant, æternitatis ſemina oſtendunt, prolapsos erigunt, deſertoſque in ſuum quaſi ſinum amplexumque recipiunt, quas proinde tollentes e vita, ſolem ipsum e Mundo tollere viderentur. Igitur cum res ita ſe habeat, haud immerito nebuloſis hisce temporibus hujusmodi ſe ſe ultro mihi obtulit diſputatio. Faxint boni Superi, ut optimum exitum ſit ipſa habitura.

Digitized by Google

648

In Te interim, Præsulum decus, veluti felicitatis exemplum oculos conijcio, cujus præſentia quaſi flos ridens me valde delectat, mentem illuſtrat, animunque ad pugnam allicit, excitat, amplificat; dum imbecellitatis meæ, quæ quidem tanta eſt, quanta poteſt eſſe maxima, Te auspicem exhibet, ac vindicem humaniſſimum.

DE

Digitized by Google

DE LEGIBUS

I

DE Legibus quæſtionem aggredientes illud veluti baſim ac fundamentum quoddam firmiſſimum, *nec* (ut ait Tullius (1) hominum ingeniis excogitatum, *nec ſcitum aliquod populorum, ſed æternum quiddam, quod univerſum Mundum regit imperandi probibendique ſapientia*, legem nempe Dei æternam, quæ definitur ab Auguſtino (2) *ratio* ipſa *Divina, ſeu voluntas Dei ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans.*, hanc inquam ſempiternam Dei legem certiſſime exiſtere propugnamus.

II

Quoniam vero omnia creata (ut evincit Philoſofia) ſupremo Dei Dominio, ejuſque regimini ſubeſſe, nullus dubitandi locus relinquitur; hinc evenit, ut nihil prorſus ſive ratione præditum, ſive deſtitutum, quamtumvis exiguum, ac contemptibile, nec minimam a-

vis

(1) Lib. 2. de Leg.
(2) contra Fauſtum lib. 22. Cap. 27.

Digitized by Google

vis pennulam; nec herbæ floſculum, nec arboris folium ab hac lege ſummi Creatoris ordinatoriſque, a quo pax univerſitatis adminiſtratur, ſubtrahi poſſe ullo modo affirmemus.

III

Cum itaque ſempiternæ Dei Legi omnia penitus ſive neceſſaria, ut ajunt, ſive contingentia, ſive naturalia, ſive libera pro diverſo agendi modo ſubijciantur, omniumque creaturarum motus in debitum finem ita dirigatur, ut omnia ſint ordinatiſſima; abſit enimvero, ut quidquam inveniatur in temporali lege juſtum, quod ab æterna non derivetur. Teneas modo illud Ciceronis in ſecunda Philippica: *Lex nihil aliud eſt, niſi recta, et a numine Deorum tracta ratio*. Quamobrem nunquam ſatis admirari poſſumus eo dementiæ atque ſtultitiæ quempiam devenire potuiſſe, ut affirmare impudentiſſime non dubitarit, duas admittendas eſſe morales, *naturalem* nimirum, ac *ſocialem*, duoque principia diverſa, e quibus veluti fundamentis quibusdam ſuas unaquæque Leges deducat. Hanc peſtem, quæ caſtigata licet paulisper incedere in Italiam auſa eſt, depellimus, contundimus, evertimus.

IV

IV

His ferme poſitis, juvat modo nodoſam ac innumeris prope caſibus atque aleis præpeditam diſputationem ſuſcipere; qua etſi nihil clarius, nihil luculentius, ſplendidius nihil; ſi varia tamen placita virorum, ſi varias controverſias atque diſſidia ~~ſane~~ inspiciamus, nihil* implicatius: legem nempe naturæ, cujus veritatem omnibus licet manifeſtiſſimam nimio diſputationis æſtu obſcurarunt, nosq. miſeros ad longius proinde orationis genus, quod paucioribus ceteroquin perſtringi potuiſſet, quodamodo impulerunt. * ſane

V

Principio igitur ut majori qua fieri poteſt claritate hac in re procedamus, maximumque argumentorum apparatum facilius confutemus ac refellamus, (3) Angelici doctrinam ſequentes duplicem potiſſimum naturæ legem ſtatuimus, ſive ut dicam melius inter legem naturalem *promiſcuam*, quæ hominibus, animantibus, ceteriſque omnibus ſubſtantiis com-

(3) I. 2. 9. 64. Art. 2.

munis eſt, legem naturæ rationalem, quæ ſolis hominibus in hoc terrarum orbe competere poteſt, ſedulo ac diligenter diſtinguendam eſſe, fidentiſſime pronuntiamus.

VI

Jam vero ne contra Tullii monitum initio turpiter aberremus, legem naturæ rationalem nunc deſcribendam putamus. Ea igitur quid aliud eſt, niſi ſempiternæ Dei legis tranſcriptio in mente hominum facta per participationem incommutabilis Divinæ rationis, qua dictatur atque præſcribitur, quid agere aut effugere debeamus? Nihil certe aliud, quemadmodum citra ullum erroris periculum et defendimus et ſuſtinemus.

VII

Caveant autem adverſarii ne nobis obiiciant legem naturæ rationalem prout modo delineavimns nullam ferme exiſtere: quandoquidem præclariſſimis rationum momentis dum nullos admodum atque irritos eorum conatus oſtendemus, omnia ſiuml contraria argumenta

pes

peſſum dabimus. (4) *Eſt ſiquidem vera lex (inquit Marcus Tullius, quem refert Lactantius) recta ratio naturæ congruens, diffusa in omnes, conſtans, sempiterna, quæ vocat ad officium jubendo, vetando, retrabendo.*

VIII

Neque profecto cum insanis delirantes ex inordinatis corporis inclinationibus, viribusque irrationalibus quaſi hoſtibus quibusdam invictisſimis: legem hanc naturæ rationalem, quam Deus in mente hominum veluti reginam conſtituit, tanta vehementia atque furore circumveniri putabimus, ut omnem libertatis vim, qua mens humana donata eſt, funditus penitusque evellant. Quinimmo veriſſime habemus, ſingulas quidem naturæ appetitiones (quidquid ſit de motibus inopinatis, qui rationis uſum tollant omnino, de quibus in præſentia nihil) ſingulas inquam dirigi ac moderari poſſe, prout ratio in hominis mente confirmata et confecta rectiſſime edicit. Quare Maximus :

(4) Lib. de Repub.

(5) *Lex naturæ (inquit) eſt ratio naturalis, quæ captivum tenet ſenſum ad delendam vim irrationalem.*

IX

Etſi copula inter ſolutos, ſuique juris, ac Matrimonii vacuos huic naturæ legi adverſetur, incredibile tamen eſt, quo ſæviſſimo fato noviſſimis etiam diebus, quos jure neſcio an injuria potius illuminatos appellant, excellentiſſimam ejuſmodi legem hac quoque in parte et verbis et ſcriptis eripere, ac de medio tollere ſceleſtiſſimus quidam conatus ſit. Verum bæc tam nefaria commenta vel unius allatæ diſtinctionis memoria manent contrita, ut evincere quempiam parati ſumus.

X

Eadem pariter facilitate, eodemque diſtinctionis principio matrimonii conſtat perpetuias. Non enim latet, indiſſolubilem Matrimonii nexum ab Auctore Gallico, ut in hoc etiam ſuam inſcitiam et pravitatem manifeſti-

(5) Tom. 5. 3ibb. PP.

us

us oſtendat, quibusdam veluti verborum aculeis pungi, illumque detritum penitus a Lycurgo fæminis in commune deductis dementiſſime commendari. Quia igitur nodum iſtum attingere auſus eſt, operæ pretium duximus et Matrimonii indiſſolubilitatem oſtendere, et ſummam hominis qua laborat ſtultitiam patefacere.

XI

Qui autem fieri poteſt, ut lex naturæ rationalis ſempiternæ Dei legis in humana mente tranſcriptio cum ſit, immutabilitatem illi denegemus? Nullo ſane modo, niſi in luce meridiana cœcutire velimus; eo vel maxime qnod ratione ſit homo ac diligendi facultate eſſentialiter præditus, ſitque naturæ lex ab ipſa ratione indiſtincta, dicente idcirco Auguſtino (6) *Sine lege naturali eſſent, ſi præpter naturam generis hnmani eſſe potuiſſent*. Quapropter eos omnes refellimus, qui hanc naturæ legem ſive abrogatione, ſive ſubtractione immutari poſſe nugaciſſime contendunt.

(6) Conc. 25. in Ps. 115.

Digitized by Google

050

XII

Quinimmo tantam huic naturæ legi vim adſcribimus, tantique facimus, ut affirmare non trepidemus, neminem in orbe terrarum exiſtentem ampliſſima licet auctoritate ſuffultum in aliquo poſſe naturæ legis præcepto diſpenſare. Hinc dabis, eos tota errare via, qui ſummo ſaltem Eccleſiæ Pontifici, quem honoris causa nominamus, jus iſtius diſpenſationis tribuendum putant.

XIII

Neque tamen ullam inferimus eidem injuriam, vel de maxima qua pollet auctoritate et magnificentia derogamus; præsertim ſi attente diligenterque conſideremus, tam firma eſſe hujusmodi legis mandata, fixa, ac immobilia, ut ne ipse quidem naturæ auctor tametsi omnipotens vim habeat proprie loquendo diſpenſandi, ut rationibus bene multis, iisdemque evidentiſſimis demonſtrabimus.

XIV

Ac de prima quidem lege in hominis mente impreſſa ſatis per nos dictum eſt; ſequitur

quitur nunc, ut eo, quo positiva lex vocat, properemus. Nec enim ignorare fas eſt, præter naturæ legem alias quoque tum divinitus, cum humanitus inſtitutas, ſubditisque sartas atque tectas ſervandas maxima hominum utilitate traditas fuiſſe.

XV

Silentio itaque prætermiſſis quibusdam ante Moyſem mandatis, quæ ob ſummam erga homines clementiam ac bonitatem a Deo facta ſunt, cogitationes omnes in eos convertimus, qui Dæmone (ut ego quidem puto) infensiſſimo chriſtianæ fidei hoſte correpti eo uſque devenerunt, ut legem Moſaicam pravis fuiſſe conſtitutam præceptis, et a Diabolo malorum omnium principio conflatam, ideoque radicitus enervandam vel ab ipſis Eccleſiæ incunabulis inſolentiſſime quidem commenti ſint; quorum inſaniam ſtrenue acriterque repreſſit ſapientiſſimus omnium Auguſtinus.

XVI

Quod ſi quis forte a nobis flagitet, quid ingenue ſentiamus de opinione illorum, qui

legem

legem Moſaicam partim a Deo, partim a Moyse, partim denique a Senioribus inſtitutam autumarunt; reſpondemus, totam equidem eſſe a Deo, nihilque Moyſem, aut Seniores pro libito addidiſſe, proindeque opinionem illam inter præjudicatas et commentitias fidenti animo recenſemus.

XVII

Præter legem veterem, cujus promulgatorem Moyſem Theologorum omnium conſenſu agnoscimus, aliam longe præſtantiſſimam a Chriſto inſtitutam fuiſſe, et ab Apoſtolis promulgatam, nemo ullus inficiabitur niſi a veritate alieniſſimus. Quo enim tendit illud Iſaiæ: (7) *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jeruſalem?* Quo illud Joannis ſub Chriſti perſona pronuntiatum: (8) *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea?* Quo inquam hæc et alia ſimilia tendunt, niſi ad Chriſtum Legislatorem?

XVIII

Deſinat ergo Calvinus ſtultiſſime excla-

(7) Cap. 11.
(8) Cap. 15.

ma-

Digitized by Google

mare:) 9) *ob miſerabilem juſtitiam! o perniciosum errorem prædicantium Chriſtum novum legiſlatorem! quaſi veterem legem abrogaverit, ut novam Chriſtianis omnibus legem imponeret*. Neque profecto ſuam ferendo legem nos in duriſſimam tradidit ſervitutem, ut verſipellis homo opinatur, cum nobis tantam gratiarum copiam ſimul cum lege fuerit impertitus, ut non tam leve, qnam dulciſſimum æque ac ſuaviſſimum onus ejus evaſerit.

XIX

Inter alias vero prærogativas; ac dotes mirificas, quibus Chriſtus nondum ad Patrem reverſus illuſtravit Eccleſiam, quam ſuo ſanguine acquiſivit, ampliſſimam quoque vim tribuiſſe Eccleſiæ Paſtoribus ferendi leges ad conſcientiæ moderationem aptiſſimas, tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Errant ergo, vehementerque errant Novatores, dum legitimo Scripturarum ſensu abutentes legislativam Eccleſiæ poteſtatem extinguere omnibus artubus unguliſque pertentant.

(9) Com. ad Paulinam Epiſt. ad Gab. 4

XX

Reges etiam, Principes, Imperatores omnes, omniſque civilis poteſtas, quæ potiſſimum ordinata eſt ad temporalem civium tranquillitatem ſervandam, ac Reipublicæ commodum promovendum, omni proculdubio gaudent ſanciendi inſtituendique leges facultate, et quidem obligantes in Foro conſcientiæ (10) *Nam qui poteſtati reſiſtit* ut divino afflatus Spiritu aſſeruit Apoſtolus, *Dei ordinationi reſiſtit; qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt ... ... ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.*

XXI

Cuilibet tandem nobiſcum diſputanti, ac contendenti de legis acceptatione ex ipſa legis natura ſuſtinemus, legem a ſuperioribus, minime vero a subditis vim conſtringendi obtinere. Neque enim *præceptum eſt* ab illo, qui *præcipitur*, teſte Auguſtino, *sed ab illo qui præcipit* (11) Manet ergo profligatus Lutherus, poſt hominum memoriam audaciſſimus, qui affirmare

(10) Ap Rom. Cap. 13.
(11) Lib' 3. de libero Arb. Cap. 24. op-

oppoſitum non * veritus, cujus proinde aſſertum * eſt jure meritoque proſcripſit ſacra Pariſienſis facultas.

FINIS.

De his diſputabitur in Seminario Epiſcopali IV. Idus Auguſti.

5832718 Digitized by Google

662

Digitized by Google